



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Solertißimus in emendicandis aliorum precibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**

*Solertissimus  
in emendican-  
do aliorum  
precibus.*

Illud præterea obseruabat ex Apostolo Paulo, & solerter imitabatur, vt aliorum pro se preces affiduè postularet. Nam si is, qui hausta in cælo, ex ipso fonte sapientia, sanctoq; spiritu adeò plenus erat, Colossensium tamen, & Ephesiorum, & Thessalonicensium, & Hebræorum requirebat orationes, vt mysteria Christi, quemadmodum oporteret ipsum loqui, sic loqueretur; Considerabat Canisius quid alios eorundem mysteriorū dispensatores tam procul à Pauli facultate distantes facere verum esset. Igitur, vt omnium postremum se ducebat, ac proinde alienis maximè muniendum, ac sustentandum auxiliis, ita in hac bona liberalis mendicationis solertia perattentus, & infinitè cupidus erat. Quicquid operis suscepturus esset, siue imminerent conciones per sacrum Aduentum, aut magnum Ieiunium, siue profectio, & legatio obeunda, siue quid elucubrandū, antè ipsa munera, interq; eadem, perpetua votorum subsidia emendicabat. Nullas dabat iis temporibus ad amicos literas, quin eos rogaret, vt diuinam sibi clemētiam ad id negotij nominatim, quod præ manibus erat, cōciliarent. Neq; solum preces flagitabat eorum, sed etiam vt ipsi ab aliis  
amicis

amicis suis impetrarent alias. Nec rarò quæ cupe-  
ret offerri pro se placamina certa nominabat, vt  
ad septem in vrbe solennes Basilicas supplicatio-  
nem; septem sacrificia ad impetranda sancti Spi-  
ritus dona, & alia horum similia. Par indè post  
successum operis per se, aliosq; gratiarum Deo a-  
gendarum subibat cura. Quin ipsum successum  
alienis precibus, ac sociorum præsertim meritis,  
nihil sibi arrogans, adscribebat.

Nec verò ad commoda magis aliena per hanc  
orandi sollicitudinem, quàm ad perpetuam vir-  
tutis suæ perfectionem enitebatur. Vbi sacratio-  
res per annum dies interuenirent, vbi nouus coo-  
riretur annus, vbi nouum aggredereetur munus,  
nouam uie adiret sedem, excitabat se se, collectis-  
que viribus, ac multiplicatis precibus, nouo cum  
impetu in omnem se laudem dabat. Friburgi qui-  
dem anniuersaria cum redirent Tutelarium ciui-  
tatis solennia, conferre se in ædem Principem S.  
Nicolai solebat: ibiq; in sancti Ioannis Sacrario  
vesperinam psalmodiam exequi, & alias addere  
preces tanto cum sensu, vt interdum extra se euo-  
catus totusq; in Deum abreptus, haud facilè sibi,  
tametsi concuteret, redderetur. Sed conatum ad

*profectus a st.  
dus sedatum.*

y

per-